

habens duas vestes, non est duo vestiti, sed unus vestitus cum duobus indumentis: » et rationem reddit: « Quia nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. » Cum quo tamen non videtur stare, quod communiter dicitur, quod nomen substantivum pluraliter dictum, debet multiplicare formas, non autem multiplicatione suppositorum multiplicatur, alioquin tres Personæ possent dici tres dii.

XXIII. Respondetur tamen in substantivis multiplicationem sumi a multiplicatione formarum, non tamen nude, sed ut afferunt secum supposita, et multiplicant illa, ita quod in substantivis multiplicatio formarum sit per se; multiplicatio

vero suppositorum ut conditio, quia formæ substantivæ afferunt secum suppositum. Quod si non afferant, nec multiplicentur supposita, non multiplicantur substantive ex defectu conditionis requisitæ. Unde tres Personæ in divinis non dicuntur tres dii ex defectu multiplicationis naturæ, quæ est forma substantialis, cujus multiplicatio per se requiritur in substantivis. Si autem una Persona assumeret tres naturas, non esset multiplicatio hominum ex defectu conditionis requisitæ, quæ est multiplicatio suppositorum. Et ex hac parte reddit D. Thomas rationem, quare in illo casu non multiplicarentur substantiva, scilicet ex defectu conditionis requisitæ ad talem multiplicationem ex parte suppositorum.

QUÆSTIO IV.

DE MODO UNIONIS EX PARTE NATURÆ ASSUMPTÆ.

In hac quæstione considerat D. Thomas ea, quæ sunt a Verbo assumpta, quæ sunt perfectiones, et defectus. Et circa primum resolvit in articulo primo humanam naturam fuisse magis assumptibilem a Verbo, quam quælibet alia, quia assumptibile dicitur, quod est aptum assumi a Persona divina, et in cujus assumptione aliqua congruentia reperitur. In humana autem natura, et est dignitas rationalitatis, et intellectualitatis, ratione cujus nata est per suam operationem, cognoscendo scilicet, et amando, contingere aliquantulum ipsum Verbum: et est necessitas reparationis, quia subiacebat originali peccato; ergo in sola humana natura invenitur congruitas dignitatis (quæ non convenit creaturæ irrationali) et congruitas necessitatis (quæ non convenit naturæ angelicæ) ergo sola illa est assumptibilis.

In articulo secundo, docet Verbum non assumpsisse humanam personam. In tertio, non assumpsisse hominem; neque humanitatem abstractam ab omnibus individuis. In quarto, nec in omnibus suis individuis, aut suppositis existentibus. In quinto, bene tamen humanam naturam de stirpe, et genere Adæ, ut ille satisfaciat, qui peccavit, et ex eodem genere victor diaboli erumpat, quod per diabolum fuerat dissipatum.

QUÆSTIO V.

DE ASSUMPTIONE PARTIUM HUMANÆ NATURÆ.

Resolvit in ea sanctus doctor Verbum assumpsisse corpus verum, non imaginatum, seu phantasticum, quia aliter nec veram mortem sustinisset, nec se discipulis palpandum tribuisset. Docet etiam assumpsisse corpus terrenum, non cœleste, quia et veram passionem, et mortem sustinuit, et sitim, et famem passus est. Assumpsit etiam animam contra Arium, et alios ponentes Verbum fuisse carnem loco animæ. Ex quo euidenter infert etiam intellectum assumpsisse cum anima, et multis auctoritatibus id probat.